

1588

animadverterent, nullum officii genus, ut hisce initii obſi-
ſteretur, prætermittebant. Pontifici, quam vehemens incen-
dium, omnem rempublicam christianam depopulaturum,
excitaretur, ostendebant: brevi ex Gallia in Italiam bellum
pervasurum; omnia furſum deorsumque Gallos, ut Salaffios
ſibi ademptos recuperent, permifturos: pietatis ac pruden-
tiæ illius eſſe, ut quam primum tantorum malorum faces
reſtinguantur, curare; ab Italiae cervicibus arma amovere;
neve pati, ut per tot annos alta hujus provinciæ tranqui-
llitas, egregio hoc ſuo pontificatu labefactetur. Carolum
quin etiam hortantur, ne Henricum exasperet; aliquam ra-
tionem ineat, qua molliri ejus animus queat; ne exten-
norum vires in Italia adcerſendi auctor eſſe velit. Ad Hi-
spaniarum insuper Regem literas dant: quanta ex iis, quæ
in Salaffiis acciderint, reipublicæ christianæ atque Italiae præ-
ſertim impendeant, exponunt: ad hujusmodi diſſidia com-
ponenda, pacemque, cujus ſemper studiosiſſimus extite-
rit, retinendam hortantur. Xystus, quæ ab Carolo acta
ſint, ob graviora damna evitanda gera fuisse, contendit;
ne hærefum pestis in suas diſtiones illata, ſenſim ferpens,
universam Italiam corriperet: neque ob id publicæ tran-
quillitati quidquam pertimescendum, Sabaudo eas diſtiones
Regis nomine tutari, eique ſe traditurum affirmante: quod
ad ſe ſpectaret, omni ſtudio pro quiete & concordia eni-
xurum. At Carolus, non infenſo in Henricum animo,
ſed neceſſitate compulſum, ut imminentia ſuis diſtioniibus
hæreticorum arma propelleret, Carmaniolam aliaque oppi-
da ſuo milite firmasse, & pro Rege tueri, eique trade-
re paratum. Senatus literis Philippus respondet, ſe inſcio
quæ in Salaffiis acciderant, ſecuta; ut omnia componan-
tur, operam daturum; eumdem illi animum, idem ſtu-
dium cum Republica in Italicam pacem eſſe; ea ne mi-
nimum quidem detimenti patiatur, ſedulo enixurum. Verum
dum hæc Philippus ſcriberet, Terra novæ Dux, Inſubrum
gubernator, copias pecuniamque Sabaudo ſuppeditabat,
quinquagintaque aureorum millia dotis Catharinæ uxoris
nomine curaverat; licet ea, ſe ignaro, fieri Philippus di-
ceret. Henricus vero ſingillatim quæ a Sabaudo gera fue-
rant,

Terra
Novæ Dux
ſuppeditas
Allobrogij
mitis.